e-codices

quia eruti de pharaonis. id est diaboli potestate. transferimur ad caelestem hierusalem facti oves dei ad pascua viriditatis aeternae.
Desertum enim. praesentis saeculi designat vitam. in qua sancti peregrinantur. donec ad expectatam perveniant patriam. inimicos
id est vitiis et omnibus peccatis in aqua baptismatis. velut in mare proiectis. Et induxit eos in montem sanctificationis suae
et cetera. Montem sanctificationis. hierusalem sive syon dicit. ubi erat illud templum sanctissimum. quem montem adquisivit dextera. ei-
ectis inde nationibus. et introductis eorum posteris. Allegorice. Mons sanctificationis. sancta ecclesia in altitudine fidei
et virtutum sublimata. sive superna illa civitas. ad quam sancti post istius huius peregrinationem inducuntur. Et eiecit a facie
eorum gentes. et sorte divisit eis terram. in funiculo distributionis. Gentes sunt errores malignorum spirituum. quos ab electis
fugavit. Terram sorte divisit. quia pro sua dignitate. vel merito. unicuique dona simul et praemia distribuit. Et habitare
fecit in tabernaculis eorum tribus israhel. id est in caelesti gloria. de qua peccantes angeli ceciderunt. fugatis fidelem populum substituit. qui sunt tribus
israhel. qui deum mentis oculis contemplantur. Et temptaverunt et exacerbaverunt deum excelsum. et cetera. De illis dicit. qui iam fuerant
intra regionem promissionis. hic enim manifestatur cum dicitur. quemadmodum patres eorum. Factum autem dicit placitum quod cum domino fecerunt. quando
dixerunt. Omnia quae praecepit nobis dominus noster faciemus. et reliqua. Averterunt autem se. quando arrepta dei cultura ad idolatriam prosilierunt de-
centes. Istis fuit dictum israhel. qui te eduxerunt de terra egypti. Conversi sunt in arcum pravum. id est arcum pravum. animi perversam dicit in-
tentionem. In ira concitaverunt eum in collibus suis. id est in lucis et montibus. in quibus relicto templo dei idola colebant. Et col-
lesatur tumor superbiae eorum ostenditur. quia contra deum erecti. mansuetudinem eius ad iram concitabant. Audivit deus et sprevit.
id est avertit et vindicavit. Deo enim tantum est audire. quantum et videre. quia de toto se videt. de toto se audit. Non enim habet
certis locis sensus divisos. sicut homines. Et reppulit tabernaculum silo. tabernaculum suum ubi habitavit in hominibus. Historiam tangit illius
temporis. quando sub heli sacerdote archa dei capta est ab allophilis. Silo autem civitas fuit. ubi erat tabernaculum domini. ante aedi-
ficatum a salomone templum. Interpretatur silo dimissio vel avulsio. in quo significabatur reprobandum iudaeorum sacerdotium. Neque
enim tabernaculum propter se. sed propter gentem illam instruxerat. quam dominus sua inhabitatione iudicabant indignam. ideo repulsa
gente. iure repulit tabernaculum. Et tradidit in captivitatem virtutem eorum. et cetera. Virtutem et pulchritudinem ar-
cham dicit testamenti domini. per quam semper videbantur invicti. et de qua super omnes gentes gloriosi videbantur. Spiritaliter autem signifi-
cabatur. quia quorundam virtutes dum suis has viribus et meritis arrogant. traduntur inimicis demonibus. et inde gravius
eliduntur. unde aliquid posse videbantur. Et conclusit in gladio populum suum. et cetera. Quando populum de omnibus gentibus elege-
rat. pro suorum scelerum immanitate perimit. Iuvenes eorum comedit ignis. Ignem furorem dicit bellantium hostium. qui eos sibi
traditos devorabant. Et virgines eorum non sunt lamentatae. Quia dum sibi periculum formidarent. nulli licuit mortuis
ut mos erat lamenta persolvere. Spiritualiter iuvenes. id est fortes quantum sibi videntur. comedit ignis impietatis. sicut dicit
esaias. Zelus apprehendit populum ineruditum. et nunc ignis adversarios consumit. Virgines non lamentantur. cum animae quae
innocenti hominum vivere videbantur pereunt. et non planguntur. Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt. Iuxta litteram sacerdo-
tes filii heli ofni et finees. ceciderunt gladio philistinorum. Sed et mystice sacerdotes ecclesiae cadunt in gladio oris sui.
cum his quae annuntiant contraria faciunt. Et viduae eorum non plorabantur. animae scilicet a deo quarum vir est animae dere-
lictae non plangebantur. cum peccando intabescerent. Et excitatus est tamquam dormiens dominus. Excitatus est ad vindictam.
qui dum sineret populum suum ab allophilis affligi. quasi dormiebat. Tamquam potens crapulatus a vino. Quidam potans legunt.
sed beatus hieronimus ostendit potens esse legendum. quod dicit tamquam fortis. Tamen enim homines ad iram sunt faciles. et ad vindictam potentes.
quando post crapulam de somno consurgunt. Mystice excitatus est. Christus resurgens a mortuis. crapulatus vino passi-
onis. Et percussit inimicos suos. id est allophilos in posteriora. quando percutiebantur in secretiore parte naturae. Et
conputrescebant prominentes extales eorum. Spiritaliter inimici. id est allophili designant eos. qui sic suscipiunt
evangelium. ut velint adhuc suis vanitatibus. id est idolis et pristinis sceleribus deservire. sicut illi archam dei captam iuxta
sua idola posuerunt. Hos ergo percutit dominus in posteriora. id est dampnabit in ultimo iudicio. Nos enim posteriora
eorum non videmus. et illi repente damnescunt. extremo iudicio praeoccupati peribunt. Et reppulit tabernaculum
ioseph. et tribum effrem non elegit. Ioseph qui interpretatur adiectus. iudaeos designant. Effrem quod dicitur frugifer. hereticos qui se
putant frugem habere scientiae et sanctitatis. His igitur reprobatis eligitur ecclesia quam designant per iudam. qui interpretatur confessio.
Unde sequitur. Sed elegit tribum iuda. montem syon quem dilexit. Et aedificavit sicut unicornium sanctificium suum. Sanctificium dicit.

Licenza: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 312, p. 170 – Remigius of Auxerre, Expositio in psalmos
(http://www.e-codices.ch/it/csg/0312/170)